6.

DISPUTATIO
HISTORICO- POLITICO- JURIDICA

DE
STATU IMPERII ROMANO
Germanici antiquo-moderno

Quam

DEO OPT. MAX. ANNUENTE

Conſenſu & Auctoritate Ampliſsimæ Facultatis Juridicæ in Illuſtri Academia Salana

SUB PRÆSIDIO

JOANNIS GRYPHIANDRI
Oldenburgi

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Defendere ſatagit

JOANNES STADIUS
Græcio Styrus.

Habebitur Disquiſitio die Matthæi, 11. Calend. Octobr. quo tempore Imperiales Exſequiæ Divo Rudolpho Auguſto *Pragæ celebrantur.*

A. M. DCXII.

JENÆ, TYPIS HENRICI Rauchmaul.

18

VIRIS

Magnificis, Nobiliſſimis,

Clariſſimis, conſilio, eruditione, prudentia, multipliciq; rerum politicarum uſu præſtantiſſimis

DN. ZACHARIÆ MORS à Lebenthal &c. Ordinum incluti Archiducatus Auſtriæ infra Oſanum, Secretario primario

ET

DN. JOHANNI VVALTHERO U. J. D. *& in aula Sac. Cæſ. ac Reg. M.tis quæ eſt Viennæ, cauſarum Patrono ut celeberrimo, ſic feliciſſimo.*

Dominis Affinibus, Patronis & Promotoribus ſuis devotè ſuſpiciendis

Hanc de Statu Imperii Diſputationem *in grati animi* σύμβολον *& ſui commendationem*

nuncupat, inſcribit & transmittit

Joannes Stadius R.

POLITISSIMO DN. RESPONDENTI, AMICO OPT. PRÆSES S. P. D.

ROmanum Imperium, *quo non illuſtrius ullum,*
Tantum inter cunctas orbis caput extulit urbes,
Quantum Aquila *antevolat reliquas* Regina *volucres.*
Parvum ortu primo, mox ſeſe erexit in auras,
Vicinumq; polo caput inter nubila cœli
Condidit, Italiæq; *egreſſum finibus amplis,*
Tranſtulit in Thracen *Latias cum faſce ſecures,*
Quæſivitq; novas Conſtantino *Duce ſedes,*
Vrbe ſuo titulo & Romanis Legibus *aucta,*
Vnde biceps Aquilæ *cœpit caput eſſe volantis,*
Heic ubi vicinas anguſto Boſphorus *amne*
Dividit Europæ *atq;* Aſiæ *violentior oras.*
Inde iterum inviſos mores atq; hiſpida corda
Turcorum fugiens, ſignis victricibus Alpes
Tranſcendit, noſtraſq; lubens ſucceſſit in urbes,
Germaniſq; *ſuos faſces commiſit habendos.*
Perpetuùm agnoſcit ſubmiſſo vertice mundus
Fatales telluris heros, pronuſq; ſalutat
Germanos *rerum* Dominos, *gentemq; togatam.*
Scilicet hanc ſceptri ſeriem ſic volvere Parcas,
Ipſe DEUS *quondam fatorum arcana reſolvens,*
Signarat ſtatuâ Danieli, *almuſq; futuro*
Manſuris inſcripta notis ſuggeſſerat ævo,
Hactenus eventus quâ nulla in parte fefellit.
Jam tria regna ſuos de nobiliore metallo
Abſolvêre dies, & quam Pater optimus *illis*
Monſtrarat metam certis tetigêre trophæis.
Præteriêre ſimul variarum monſtra ferarum.
Vltima reſtat adhuc Aquila, *atq; immota procellas*
Suſtinet adverſas ſortis, licet undiq; plumis
Et pennis ſpoliata gemat, veteriq; decôre,
Attamen inſtantes mundi victura per annos:
Dum petra è ſommo prolapſa cacumine montis
Irruat, & celeri ſtatuam radicitùs ictu
Confringat, dum Rex Regum *data ſceptra repoſcens,*
Inchoet æternis regnum durabile ſeclis

Interea Auſtriacis voluit recubare ſub alis
Relliquias Latii prudens, Deus atq; tot inter
Fortunæ anfractus tuto requieſcere ſomno
Divi Matthiadæ in gremio, qui nuper avitum
Sceptrum Electorum è manibus ſuſcepit, & uno
Fœdere diverſos populos contemperat æquus.
Et nunc exſequias ſolitâ pietate Rudolpho
Induperatori Divo, juſtoq; Monarchæ
Succeſſor celebrans, Fratris litat optimus umbris.
Quem longum nobis Parcæ cum Conjuge ſervent.
Sed tu ſollerti cura, doctiſſime Stadi,
Auſtrius Auſtriaci faſces & jura Monarchæ
Indagas mecum, & ſtudio vigilante requiris.
Scilicet ut Patriæ illuſtres devotus honorem
Obſequiumq; probes grata teſtamine mentis.
Ipſa tuos iterum dignâ mercede labores
Compenſet quondam, virtuti congrua reddens
Præmia, prout candor tuus & doctrina meretur.

Dn. JOANNI STADIO AMICO fraterno.

PUlchrè decurris ſtadium, Doctiſſime STADI
Statum Imperî Germanici
Dum benè depingis, GRYPHIANDRO Præſide, nodos
Gryphosq; qui ſcit ſolvere:
Hoc veſtro ſtudio melius Reſpublica ſtabit
Si ſtando ſic perrexeris:
Jam tùm ſancta DICE ſedem tibi deſtinat aptam,
Qua ſtare poſſis ſplendidè.
Fiat id ô fiat: remis veliſq; labora,
Mox ſubleves ut Auſtriam.

αὐτοσχεδίαστε

Johannes Mercerus, Hennebergius
φιλίατρος.

THESIS I.

PRimum Urbis Romæ conditorem fuiſſe Romulum cum fratre Remo hiſtoriæ memorant. Sed ille dum hunc ex dominandi cupidine amovit, ſatis docuit, ſummum imperium aut dominium penes duos ex æquo eſſe non poſſe, nec regna ſocium ferre nec tædas ſcire.

2. Falluntur Aſtrologi, qui ex ejus urbis conditæ themate genethliaco fortunam & diuturnitatem Imperii Romani colligunt, cum hæc admodum ſint diverſa, & imperium ſalvum eſſe poſſit, etiamſi urbs mœniaq; deſtruantur. Nec enim eſt in parietibus Reſpublica, maximè ſi ſit per plures provincias diſperſa.

3. Unde Romanum Imperium ex Prophetia Danielis æternum (liceat ita cum Imperatore loqui) concedimus, duraturum usq; ad adventum Chriſti, etiamſi Roma una cum Pontificis regno ex Sybillæ vaticinio ante noviſſimum diem intereat.

4. Primam Reip. formam, quam civitati indidit Romulus, Monarchiam fuiſſe, & ratio dictat, & hiſtoriæ comprobant, maximè Halicarnaſſ. qui dicit tribus propoſitis, optione à Romulo data, populum ipſummet monarchiam ut optimam elegiſſe, ut mirum ſit, ſolum Fridericum Tilemannum aliàs ἱστορικῷ-πολιτικώτατον etiam ſub regibus democratiam ipſi tribuiſſe.

5. In monarchico hoc ſtatu ſex Reges recepit, quousq; ſub ſeptimo Tarquinio Superbo in tyrannidem degeneraret. Ob quam poſteà juſte à Bruto expulſus eſt ille, & ſtatus Reip. converſus. Quod prohibere fortè potuiſſet Tarquinius, ſiquidem præſens fuiſſet, nec alibi militans ſedem imperii ſtultè omiſiſſet, ut in eo jure à Clapmario reprehendatur.

6. Exactis Regibus ſtatus monarchicus ſublatus eſt, & ariſtocraticus per Coſſ. & Senatum introductus. In quo tamen non diu pacatè perſtitit Reſp. non tam vitio optimatum, quam populi natura, quæ libertatis & dominationis cupida æqualitatem democraticam appetebat.

7. Peccaſſe tamen in eo videntur patricii, quod plebem nimis duriter haberent, ac ære alieno gravatam ſuo ſervitio addicerent, eam per leges à connubiis magiſtratibus ac honoribus arcerent, à quibus obliquè per κρύφια & ambages excluſam oportebat.

8. Cum ſenſim unum caput poſt aliud de jure majeſtatis detraheret populus, tandem in democratiam converſa eſt Reſp. non quidem uno momento ſed ſenſim ac pedetentim, ut non animadverteretur converſio fieri, ab imperitioribus ſcilicet, priusquam facta eſſet.

9. Converſioni imminenti dum fortiter reſiſterent Optimates, diu quaſi conflictus utriusq; ſtatus fuit, ut modo plebs, modo patres ſuperiores ac domini Reipub. viderentur. Mixtum cum ex utroque cum Zaſio non dicimus, ſicut nec ullam, mixtam Remp. cum Bodino agnoſcimus. Cui in hac quæſtione præter meritum penè tota Politicorum Schola adverſatur.

10. Interim dum illi inter ſe de Rep contenderunt, utrisq; invitis Reſp in oligarchiam Decemvirorum prolapſa eſt. Oligarchiam vocamus, aliter ac Ariſtoteles, vitioſum paucorum ſtatum, ſed qui omnium breviſſimus fuit, quando tyrannidi plurium non tantum ab aliis, ſed etiam à ſe ipſa imminet exitium.

11. Corruit ergò Tholoſani ſententia ſtatuentis Remp. in ariſtocratiam recidiſſe, ſimul ac Decemviri conſtituti ſint, cum pleniſſima poteſtate, omni alio magiſtratu abrogato. Nec enim ſuo jure, ſed ad tempus & certum negotium, adeoq; precariò ſaltem jura majeſtatis acceperunt. Quod ad Reip. tranſlationem non ſufficere notum eſt.

12. Lapſus quoq; videtur in hiſtoria JCtus, quisquis eſt, dum

dum ab initio Decemviros conſtitutos ſcribit, per quos peterentur leges à Græcis, cum conſtet tres ſaltem viros miſſos, quibus reverſis poſtea ad promulgationem alii ſuperadditi. Fabulam Accurſii & Odofredi de concertatione Fatui Romani & Sapiētis Græci pro impetratione legum habita meritò rejicit Zaſius.

13. *Sed auctor ejus legis Pomponius an Tribonianus habendus ſit, Dd. certant & adhuc ſub judice lis eſt. Tribonianum à toto opere ſtilus facile excuſat. Ejusdem violentas manus definitio legis actionum coarguit. Pomponium pleraq; ex Feneſtella exſcripta ſuppreſſo auctore, vitio magis quam laudi cederent, niſi exinde rectè cum Zaſio colligitur, hujusmodi furtum litterarium, quo hodie inter ſcriptores nihil crebrius, licitum eſſe.*

14. *Liberta Reſpub. à tyrannide paucorum, aliquadiu in ſtatu democratico perſtitit, ſed variis mutationibus ac motibus inteſtinis obnoxia. Nec tamen toties formam Reip. cum Forſtero mutatam dicimus, quoties in modo regiminis aliquid innovatum.*

15. *Tandem cum ad Ochlocratiam degeneraret, ſeditionesq; & civilia bella indies multiplicarentur, neceſſariò ad monarchiam redeundum fuit. Ita teſte Polybio Reſpublica Romana omnes Rerump. formas & bonas & malas experta eſt. Ex qua naturali circulatione diſcimus, monarchicum ſtatum polyarchico & tranquilliorem & diuturniorem eſſe, ut ad quem tanquam ad perfectiorem ab utroquè extremo naturaliter fit tranſitus.*

16. *Monarchiam aut dominatum licet pleriq; civilium bellorum ſpectarint, nemo tamen fine ſuo potiri potuit, ante Julium Cæſarem. Ut in imperiorum invaſione veriſſimum ſit, quod ait Poëta:*

Ille crucem ſceleris pretium tulit, hic diadema.

17. *Et tamen brevis hæc felicitas magni ipſi conſtitit; quando non multo poſt ex juſto Dei judicio arreptos faſces cum vita exuere coactus eſt. In quo maximum erratum commiſit,*

quod prætorianos milites ad cuſtodiam corporis ſui dimiſerit, contra Senecæ monitum: quod civibus tenere te invitis ſcias, ſtrictus tuetur enſis.

18. Vnde ab eventu, de jure, quod habuerit ab initio colligitur. Nec enim, licet Reip. non niſi per unum conſuli poſſet, dicente JCto, non ut JCto, ſed ut Politico, ideò fas aut neceſſe erat Cajum Julium Cæſarem Remp. invadere.

19. Verum permiſſivè electus à Deo & confirmatus in Imperio, à Bruto & Caſſio ſociisve occidi non debuit, nec jure potuit. Vnde eos ſua pœna inſecuta eſt, ut manifeſtum ſit, Deum in hoc quoq; genere peccata peccatis punire, nec privato tyrannum occidere licere, ne juris quidem aut titulo tyrannum, ut vocat. Bart. niſi in ipſa lucta, dum adhuc de Rep. occupanda & defendenda concertatur.

20. Auguſtus Succeſſor, licet is quoq; non usquequàq; juſtè imperium nactus videatur, tamen ſi quod fuit vitium acquiſitionis, recta gubernatione diluit & purgavit. Quin callidè à Senatu Pop. q; impetravit, ut ſibi communi conſenſu Reſpub. deferretur.

21. Quod cum fieret, ſummam poteſtatem legibus ſolutam per SCtum accepit, qua quicquid in Rep ageret hoc ratum firmumq; eſſet, æquè ac anteà à populo plebeve actum. Ita omnis poteſtas tranſiit à populo in Cæſarem, & quidem privativè non cumulativè. Id cum à Dione Caſſio proditum ſit, dubitandum non eſt, legem Regiam Auguſti tempore latam eſſe, cum illa nihil aliud in ſe contineat.

22. Proinde non audimus illos, qui legem Regiam, vel ad Romuleas & priſcorum Regum leges, quarum alicubi fit mentio in jure civili, vel ad ll. 12. tabb. vel ad Syllam, vel C. Julium Cæſarem referunt. At ſucceſſoribus Auguſti dum eadem poteſtas per SC. tributa eſt, in illis lex magis renovata eſt, quam lata. Qualis ſub Veſpaſiano Cæſare in æs inciſa adhuc Romæ viſitur.

23. Multò minus Conanum admittimus, qui legem illam

lam merum commentum eſſe contendit, quia pop. volens nunquam poteſtatem in Impp. tranſtulerit, ſed illi vi ac dolo eam arripuerint. Imò Conane, ut ut hoc ſit, etiam coacta voluntas in hac materia eſt voluntas.

24. *Quid continuerit, ſi quæratur, fortaſſe rectè ſenſit Vultejus, idem in ſe habere, quod olim jus Regium propoſitum Hebræis à Samuele. De quo controvertunt Politici juxta cum Theologis, an ſit jus Regis vel Tyranni. Putamus cum Tholoſano, deſcribi poteſtatem illic, ut eſt facti, non ut eſt juris.*

25. *Vnum obſtat, quod legem Regiam vocat JCtus, cum conſtet primos Cæſares & maximè Auguſtum invidiæ vitandæ cauſſa, hoc titulo abſtinuiſſe. Fortè proprio nomine deſtituta SCta compendiosè ita vocavit JCtus, reſpiciens ad ſuum ævum, quo invidia iſta exoleverat, & Roma ſervitutis patiens, jugum titulumq́, regium jam receperat.*

26. *Hinc Princeps Rom. ſimpliciter legibus ſolutus eſt. Nimirum civilibus, non naturalibus aut Gentium, multò minus divinis, quibus ſolvi nequit. Neq, videtur tantum legibus eſſe ſolutus, ut putavit Gothofredus, ſed revera eſt. Interim voluntariò ſe legibus ſubmittit, & ſecundum leges vivit, quatenus id naturalis honeſtas, aut imperii utilitas requirit.*

27. *Et hoc non tam beneficio Legis Regiæ, quàm jure majeſtatis, quam poſſidet, cui etiam tacitè hujusmodi poteſtas inhæret. Sed hanc ut jure habere viderentur primi Cæſares, legis Regiæ gratiam captabant.*

28. *Cum autem eá poteſtate plurimi ad tyrannidem abuterentur, quales fuerunt Nero, Caligula, Commodus, Heliogabalus, atq, ejus farinæ plures, abſoluta & immenſa poteſtas certis legibus circumſcribi cœpit.*

29. *Quin Impp. juramento quoq, fidem Senatui obſtringere cœperunt. Quod ultro feciſſe Trajanum hiſtoriæ memorant, ſed an hoc ejus factum in neceſſitatem apud ſucceſſores tranſierit, non æquè patet.*

30. *Hoc certum eſt, Impp. Græcos Pontificibus Romanis*

ex quo illorum potentia invaluit, jurare ſolitos, quod fidem catholicam inviolabiliter ſervare & tueri vellent. Quod à tempp. Conſtantini M. qui primus Chriſtianam fidem amplexus ſcribitur, invaluiſſe videri poteſt.

31. Præſtitit hoc juramentum quoq; Carolus M. Leoni Papæ, cum ab eo in Imp. Rom. coronaretur. Ex quo ea conſvetudo ad poſteros tranſiit. Quod Cæſareæ majeſtati nihil detrahere, neq; pro juramento fidelitatis, ut quidem Pontifices interpretari voluerunt, haberi poſſe dicimus.

32. Præter hoc, quod ad fidem Chriſtianam ſpectat, aliis quoq; capitulis poteſtas Imp. poſtea limitata eſt. Quam exinde capitulationem vocamus, eſtq; lex regia Imperii, qua populi Germanici ſummum Imperium in Imper. transfertur certis conditionibus.

33. Ea quo tempore cœperit, itidem in obſcuro eſt. Probabilis eſt conjectura eruditiſſ. Friderici Hortlederi, ſub turbulento Henrici Quarti ſtatu primum natam, deinde tractu temporis magis magisq; auctam, quousq; ſub Carolo IV. Electoria dignitate in melius reformata, in præſentem formam coaluerit.

34. Eſtq; lex Imperii fundamentalis relata poſtea in Auream Bullam Caroli IV. Quæ licet in partibus mutari aut corrigi, eiq; alia ſuperaddi aut detrahi ſubindè poſſint, tolli tamen in totum ne quidem communi Electorum conſenſu poteſt. Vnde ipſi quoq; Imperator ſtare tenetur, neq; ea ſolutus eſt.

35. Adhuc tamen aliis civilibus Legibus ſolutus eſt, & eandem poteſtatem obtinet, quam primi Imperatores habuerunt, niſi quatenus per capitulationem illi detractum eſt. Cujus formam in Caroli V. electione propoſuit Sleidanus.

36. Quæ cum ſummæ majeſtati non deroget, neq; eam cum principibus dividat, ut quæ individua eſt, ut rectè docuit Bodinus, neque adhuc ſatis refutavit Arniſæus, hodiernum Imperii ſtatum monarchicum dicimus, nec ullam mixtionem hic admittimus, ſtante nihilominus Electorum & cæterorum ordinum jure & poteſtate.

37. Bo-

37. *Bodinus quidem exinde ariſtocraticam formam eli-cere conatur. Sed hunc paſſim refutant noſtrates politici, qui-bus procul dubio ſtatus ſuæ Reip. exploratior eſt quam alienige-næ. Iidem tamen dum mixtam ex utraq; contendunt, una ma-nu contradictoriè concedunt, quod altera adimunt. Eſſet enim ſic monarchia cum ariſtocratia conjuncta, nihil aliud quam ariſtocratia, ſi ſtandum eſt definitioni.*

38. *Verum eſt, de maximis juris majeſtatis capitibus in comitiis tractari, ubi Imp. & omnium ordinum Imperii con-ſenſus & poteſtas concurrit. Quam ita partitur Paurmeiſte-rus, ut Imperatori unum ſemiſſem tribuat, cæteris Electoribus, Principibus, Comitibus, Baronibus & liberis Civitatibus, pro cujusq; ordine, dignitate, prærogativa & differentia, alterum.*

39. *Sed id majeſtatem Cæſaris nec dividit, nec minuit, quando eadem comitia olim Romulus & cæteri Reges Romani habuerunt, in quibus de ſummis Reip. negotiis cum Senatu & populo conſultarunt. Nec hodie in regno Galliæ aliter obſer-vatur, ut teſtimonio Hottomanni ſine conſenſu concilii & Par-lamentorum de rebus Imperii non magis ſtatuere Rex Galliæ poſſit, quam Imperator.*

40. *Quin imo jus indicendi comitia, & quod Imperato-ris votum eſt quaſi colophonium cæterorum, quodq; ea quæ con-cluſa ſunt Cæſareo nomine edicuntur, & aliis Imperii membris imperantur, arguunt majeſtatis prærogativam. Adeoq; id pa-ctum dicitur, quatenus inter Cæſarem & Ordines tanquam unum Imperii corpus, ita convenit, & lex, quatenus ab Impe-ratore ſingulis, ut pareant, mandatur.*

41. *Cauſſæ judiciales ad Cameram Imperialem, quæ eſt Spiræ Nemetum, pertinent. Quæ licet ab ordinibus quoq; con-ſtituatur, qui illic ſuos alunt aſſeſſores, eſt tamen & dicitur conſiſtorium Imperatoris. Vnde decreta quoq; & citationes e-jus nomine emittuntur, & Imperiali ſigillo muniuntur.*

42. *In his Imperator cum Camera concurrentem habet jurisdictionem, ita ut præventioni ſit locus. Roſenthalii ſen-*

tenti-

tentiam, ejusmodi juriſdictiones in Cameram privativè non cumulativè eſſe translatas, neſcio, an uſus recipiat. Devolutas autèm ad Cameram ſeu pendentes non poteſt Imperator ad ſe revocare, neq; fit appellatio à Camera ad Imperatorem, quia ejusdem eſt judicium, neq; ab eodem ad eundem datur provocatio. Niſi fortè à malè informato, ad melius informandum. In quem uſum reviſiones in Camera conceduntur.

43. *Aliæ cauſſæ majores, quæ ſunt de reſervatis Imper. veluti de feudis regalibus, ad ſolius Imperat. aulam pertinent, ut qui ſolus ea ſibi aperta, cui vult, concedit. Non ergò in his Camera concurrentem habet juriſdictionem, cum nec vacante ſede ejus Vicarii de iis poſſint cognoſcere, utpote futuro Cæſari relinquendis.*

44. *Imperatori ſi lis intercedat cum Principe Imperii, ſiquidem de feudo regali, Pares Curiæ ſunt judices, ut jure feudali receptum eſt apud nobiliores gentes. De aliis negotiis coram Comite Palatino ad Rhenum in ſua tamen propria aula convenitur Imperator, ubi ſi lis terminari nequeat, fortè in Comitiis decidenda erit. Quod itidem majeſtatem regiam non lædere, inſtituta & mores aliorum populorum probant.*

45. *Extremum eſt, quod potiſſimum majeſtatem Imper. aſtruit, quod à ſententia Cæſaris ad totum Imperii corpus in Comitiis provocatio non datur. Quod licet ſuo quoq; tempore in quæſtionem veniſſe ſcribat Æneas Sylvius, tamen ita obtinere cum Paurmeiſtero putamus, utpote per capitulationem non mutatum. Et rectè, ne alias lites fiant immortales.*

46. *Non minor eſt dignitas Imperatoris quam poteſtas, ita ut non ſolum Principibus in Imperio omnibus, ſed etiam exteris Regibus per univerſum terrarum orbem præferatur. Quam dignitatis prærogativam Chriſtiani Monarchæ ipſi libentur concedunt, ut etiam in ipſa aula Imp. Turcici, Cæſaris Oratori primus conſeſſus præ cæteris legatis tribuatur.*

47. *Proximum honoris locum obtinet Gallus, tertium Hiſpanus. Quanquam illi etiamnum de prioritate contendunt,*

dunt, ſed per ſententiam Pontificis hactenus in poſſeſſione eſt Rex Galliarum. Sequuntur alii ſecundum dignitatis ſuæ prærogativam.

48. His omnibus anteſtat Pontifex Romanus, Imperatoria majeſtate tanto major, quanto Sol lunam ſplendore ſuperat, ut gloriatur Innocentius tertius. Quod cum ita de facto, quod hic juri ut potentius prædominatur, obtineat, ſi Imperator ejus majeſtatem, ut pleriq; Reges Chriſtiani, comiter agnoſcat, id ſubjectionem non inducit, nec Imperatoris dignitati magis officiet, quam cæterorum, qui idem faciunt.

49. Quoad poteſtatem Pontifex in ſpiritualibus ſummam ſibi auctoritatem vendicat, non ſolum per Imperium, ſed etiam univerſum orbem Chriſtianum. Quam tamen ipſi non concedunt Theologi Auguſtanæ confeſſionis. In temporalibus diſtinctum ejus eſt territorium, adeoq; in terris Eccleſiæ ipſe obtinet jura principis, & ſummum ſtatuendi arbitrium.

50. In terris Imperii ſolus Imp. ſummam poteſtatem habet, Pontifex nullam. Et pro hac diſtinctione jus Canonicum, quatenus à jure Civili diſcrepat, ad terras Eccleſiæ, ut vocant, remittimus. Quatenus conſentit, etiam in terris Imperii recipimus, non ex neceſſitate, ſed de conſvetudine, & quatenus bona ratione nititur.

51. Dicuntur Cæſares à C. Julio Cæſare, quem primum monarchiæ auctorem diximus. Is autem unde id nomen ſortitus ſit, inter ſcriptores non conſtat. Spartianus quadruplicem etymologiam reddit, vel à cæſo matris utero, vel à cæſo elephanto, vel à cæſarie, vel à cæſiis oculis, ex quibus poſteriorem amplectimur.

52. Ab Auguſto ſucceſſores Auguſti dicuntur, licet Accurſii notatio ab augendo Imperio Germanico idiomati conveniat. Ab Antonio Pii, ab aliis aliter. Quos titulos ſine ambitione uſurpare potuit Juſtinianus, quicquid id Tholoſanum Gallum hominem mordeat.

53. Titulus Dei gratia propriè ſoli Imperatori, & illi

ſaltem qui ſuperiorem non recognoſcit. Nec enim Imp. majeſtatem ſuam cuiquam, quam uni Deo acceptam refert. Cæteris Principibus per indulgentiam & conceſſionem Imperatoris competit.

54. *Sicuti etiam in ſolum Imperatorem Rom. crimen læſæ majeſtatis propriè committitur. In Principes ſuperiorem recognoſcentes, quatenus ſunt Imperii membra, quorum violatio ipſum Imperii corpus pertingit.*

55. *Duobus autem modis ad Imperium pervenerunt Cæſares, electione & ſucceſſione. Electio primis monarchiæ tempp. obtinebat, ut tamen iidem Impp. conſenſu populi aut Senatus plerunq; ſucceſſorem ſibi adoptarent vel conſtituerent.*

56. *Ea aliquandiu apud populum & Senatum reſedit, poſtea ad milites pervenit, ita ut ab his electus confirmaretur à Senatu. Deniq; invaleſcente Pontificum potentia, hi electionem Imperatoris ſibi arrogare voluerunt, verſo rerum ordine, cum antea Pontifices ab Imperatoribus creari & eligi ſolerent.*

57. *Hinc Carolo M. Leo Papa coronam obtulit, & Imp. Rom. nominavit, aut potius declaravit, cùm jam antea occupata Italia, & devicto Deſiderio ultimo Longobardorum Rege, transactione etiam cum Græcis Impp. inita, Imperium bello & armis ſibi acquiſiviſſet.*

58. *Atq; hoc per ſucceſſionem tanquam hereditarium ad poſteros transmiſit, quousq; extincta familia Carolovingia, ad Principes Germaniæ & Imperium & electio pervenit, à quibus electos Pontifices confirmabant.*

59. *Quæ confirmatio electionem factam ſubſequebatur, jus autem reprobandi in ſe non habebat. Ex qua conſvetudine etiam noſtro tempore confirmatio Pontificis in Electione Imperatoris intervenire ſolet, honoris ſaltem cauſſa, non etiam neceſſitatis.*

60. *Cum verò circa electionem crebri motus orirentur, & quandoq; bini Impp. pro uno per factionem eligerentur, Otto tertius una cum Gregorio V. Pontifice, antea Brunone dicto,*

natio-

natione Saxone & cognato ſuo conſtituit, ut Imperii decus imposterum penes Germanos Principes eſſet, utq; illi jus eligendi haberent, nec alienigenam ad id promoverent.

61. *Ab eo tempore videtur penes certas familias jus eligendi Imperatorem fuiſſe, quæ tamen cæteros principes in conſilium aſſumere ſolerent, ut rectè Schardius Ciſnerus Heigius & Politicorum pleriq; primam Electorum originem Ottoni tertio adſcribant.*

62. *Nec tamen tum poteſtas eligendi ad ſolos Septemviros reſtricta erat, quod cum primo occultè invaleſceret, tandem à Carolo Quarto approbatum & in Auream Bullam relatum eſt, ſicuti etiam conſtitutum, ut non tota familia, ſed illius familiæ princeps, ſive primogenitus tantùm dignitatem electoralem haberet.*

63. *Ab Ottone illo tres Eccleſiaſticos ut archicancellarios Imperii & tres ſeculares Principes ad hoc munus evectos probabilis eſt conjectura, licet de familia Brandenburgica diverſa ſint aliorum judicia. Quod verò Bentherus aſſerit Regem Bohemiæ demum à Carolo IV. adjectum cæteris, rectè reprobat Schardius, & hunc eodem tempore acceſſiſſe tradit, licet tunc nondum Rex ſed Dux Bohemiæ fuerit.*

64. *Regem Bohemiæ non ſimpliciter votum habere, neq; ejus præſentiam aliter neceſſariam eſſe, quam ubi cæteri diſſentiant, & paria ſint utriusq; partis vota: Tunc enim eum ut arbitrum accedere, docet compilator juris Saxon. Hoſtrenſis & alii. Quod an ita obtineat, ab aliis diſcere, quam aliis dicere malumus.*

65. *Elector votum ſuum, non modo aliis cuicunq; voluerit, modo ſit Germanus, quales Gallos hodiè non agnoſcimus, licet Franci ex Germania oriundi ſint, ſed etiam ſibiipſi accommodare poteſt, ut expreſſè in A. B decíſum eſt.*

66. *Electioni ſubſequitur coronatio, quæ licet ex placito A. B Aquisgrani fieri debeat, tamen locus communi Cæſaris & Electorũ conſenſu mutari poteſt, ut nupera* D. Matthiæ Cæ-

ſaris Opt. Max *Francofurti inſtituta coronatio docuit. In hac Colonienſi aliàs debetur unctio, quæ tamen indidem à Moguntino expedita eſt, cui ea olim competiiſſe invenitur. An quia Coloniēſis fortè pallium à Pontifice nondum impetravit?*

67. Per hanc Cæſar pleniſſimam poteſtatem accipit, adeoque q. in poſſeſſionem Imperii ſolenni inveſtiturá mittitur. Unde ab eo tempore omnia Romani Imperii jura titulum, dignitatem & majeſtatem obtinet. Huic tamen ad pompam in Italia altera Mediolani, & tertia Romæ corona ſuperaddi olim ſolebat.

68. Quod ut conſvetudine invaluit, ita contraria conſvetudine hodie, à tempore Caroli V. qui ultimus Cæſarum à Pontifice coronatus eſt, fracto in ejus coronatione ponte id portendente, ſublatum eſt.

69. Proinde diſtinctionem exinde per errorem receptam, ante coronationem Pontificiam non Imp. Rom. ſed Regem ſaltem Romanorum aut Germanorum dicendum, non probamus. Cum debeat dicente Günthero Pontifex non dator Imperii ſed confirmator haberi.

70. Vſum tamen aliquem Regis Romani agnoſcimus, cum viventi Imperatori alius q. coadjutor & ſucceſſor adjungitur, ut olim Carolo V. Ferdinandus Frater. Quem olim Cæſarem vocabant, nos Regem Romanum, & convenit illi, quem Galli Delphinum, Hiſpani Infantem Regni vocant.

71. An autem utile ſit, ejusmodi ſucceſſorem vivo Imperatori adjungi dubitari poteſt. Et accidere poſſe, quod ſit, cùm Heigio dicimus. Electio autem ſive aſſumtio ejus non ab Imperatore, ſed ab Electoribus fieri debet.

72. De depoſitione quæritur, an Electores ſicuti eligere, ita deponere Imperatorem poſſint? Et poſſe docuerunt exempla Wenceslai Bohemi & Adolphi Naſſovii. Ad quod tamen non niſi ex graviſſimis cauſis & extrema neceſſitate urgente deſcendent.

73. Papæ poteſtatem conſtituendi & deponendi Reges

non

non concedimus. Quam licet Gregorius Septimus in Henricum IV. defacto ſibi arrogarit, fretus autoritate Gelaſii Papæ, qui reprobato Childerico Rege Francorum, Pipinum Caroli M. patrem conſtituiſſe ſcribitur, tamen & illum iniquè proceſſiſſe demonſtrat Goldaſtus, & hujus hiſtoriam fictitiam eſſe Hottomannus, cum conſtet ex veris annalibus, judicio populi Childericum abdicatum & Pipinum electum fuiſſe.

74. *Terminos quod attinet, ab initio Romanum Imperium muris claudebatur. Quod progreſſu temporis ſua virtute usq; eo produxerunt Romani, ut tota Italia ſubjugata, finitimas quoq; provincias & regna, adeoq; maximam orbis partem ſibi ſubjicerent.*

75. *Oldradum exinde contendentem monarchiam Rom. eſſe injuſtiſſimam rectè refutat Zoanettus, cum conſtet eos jure belli id feciſſe, adeoq; ipſius D. Hieronymi teſtimonio, ſuis virtutibus acquiſiviſſe imperium, ut fortaſſe non injuria ſcribat Hieron. Balbus Oldradi manes propterea ſatis dignè in inferno torqueri non poſſe, quod non modeſtius de Imp. Rom. ſenſerit.*

76. *Cumq; remotiores quoque populi bello tentarentur, Auguſtus Cæſar, cupiens diffuſam potentiam cohibendo intra terminos fortiorem reddere, certos limites Imp. Rom. conſtituit, quos egredi non liceret. Quod laudat Clapmarius, quia ut Curtius inquit, navigia quæ modum excedunt, difficulter regi poſſunt.*

77. *Nunquam autem majores fuiſſe quam ſub Trajano hiſtoriæ memorant, poſt cujus tempora ſenſim acciſi ſunt, ut aquilæ Rom. ſicuti juventus, ita ſtata ætas & deniq; ingraveſcens ſenectus ſubinde videri poſſit, deducente id latiſſimè Elia Reuſnero Hiſtorico clariſſ.*

78. *Conſtantinus M. dum ſedem Imperii Româ Conſtantinopolim tranſtulit, Aquilam bicipitem; & ex una Romæ duplicem fecit, veterem & novam; cauſſamq; invaleſcendæ potentiæ Pontifici dedit,*

79. *Ab inde Imperium duplex Orientis & Occidentis,*

cum Arcadius & Honorius Theodoſii Imp. Filii primùm dividererent, factum & progreſſu temporis, ut Occidentis Imperium Germanici Impp. poſſiderent, Orientis Græci, quousq; devicto Conſtantino Palæologo Imp. ultimo à Mahumete Sultano Turcico Conſtantinopolitanum Imperium ad Turcas tranſiret.

80. *Hodie Imperium noſtrum Germaniâ & paucis extra eam provinciis terminatur. Quod monarchiæ ἀξίωμα à nobis non transfert, cum Imperii majeſtas & amplitudo non tam ex provinciarum multitudine, quam ex virtutum & juſtitiæ ſplendore, adeoq; diuturnitate & felicitate æſtimanda ſit.*

81. *Quin adhuc eandem quartam monarchiam, quam Auguſtus Cæſar, veniente in carnem Chriſto, incepiſſe putatur, in Impp. noſtris durare credimus, duraturam usq; ad finem ſeculi, licet pedibus luteis ſeu teſtaceis innitatur, Quòd Propheta ita futurum prædixerat. In quo explicando Bodinum toti antiquitati ſe opponentem non admittimus.*

82. *Imperitum ergò rerum noſtrarum ſe oſtendit Coſtalius quando ſcribit, ſe ignorare, quo in loco hodie ſit Romanum Imperium.*

83. *Beroaldum quoque rectè perſtringit Zoanettus, Qui Imperium non amplius Romanum, ſed Germanicum, dici voluit, cum Imp. nihil aut parum in Italia poſſideat, & Roma ſit confluges cerdonum, ut fatetur Zaſius quorum vertex & cerebrum eſt Papa, dicente Baldo.*

84. *Utrumq; enim rectè dici putamus, & Germanicum, quia Germaniæ inhæret, neq; ab ejus oſſibus divelli poteſt, & Romanum, quia idem Imperium ſucceſſivè ad noſtra tempora & fines pervenit. Nec enim Romanum Imperium anguſto loco includendum eſt, cum Roma ſit, ubicunq; eſt Curia imperatoris.*

85. *Et proinde Trithemii quoq; diſtinctionem cùm Kniggio non recipimus, ſi Germanis adimeretur Imperium Romanum,*

nium, permanſurum nihilominus Regnum Germanicum, cum hæc ſint ita confuſa, ut alterum ſine altero eſſe non poſſit.

86. *Sed an adhuc verum eſt, quod Maximil. II. imp. ad Pontificem Pium IV. dixiſſe fertur, cum Coſmum Medices Florentinorum Ducem Regem creare vellet: Non habet Italia Regem, niſi Cæſarem?*

87. *Certum eſt, non omnem Italiam Cæſaris ſuperioritatem hodie agnoſcere, partim de jure, partim de facto: ex quo tandem jus naſcitur accedente diuturnitate temporis. Non ergò recipimus JCtorum doctrinam, quam multis aſtruit Zoanettus; ſummum Imperium nullo unquam tempore præſcribi poſſe, ita ut ſubditus fiat non ſubditus. Id enim eſſet revangare mundum, ut Baldus loquitur & bellis omnia involvere.*

88. *Hoc jure ſe defendunt Veneti & Pontifex Rom. qui D. Petri patrimonio titulum donationis à Conſtantino M. factæ prætendit. De qua tamen non nemo dubitat. Quin ipſe Paulus 3. Pontifex, ejus imbecillitatem agnovit, quando quærenti, quo jure tot provincias teneret, reſpondit: O te hominem ignarum, qui de jure quæris, quod contra omnium vim tot annos poſſidemus.*

89. *Vnde rectè legatus Venetus Alexandro 6. inquirenti in dominium maris Adriatici ſubjecit: oſtendat mihi veſtra Sanctitas D. Petri patrimonii inſtrumentum, & à tergo ſcriptam inveniet conceſſionem maris Adriatici Venetis factam.*

90. *Eandem libertatem adverſus Imperatorem ſibi vendicant Genua, Florencia, Luca, Sena, Aſtenſis & aliæ civitates, quas Kniggius recenſet, quarum pleræq; pretio dato ſeſe ab Imperatore Rudolpho I. redemiſſe gloriantur. Qualis venditio an jure valida ſit, quæritur? Quod quidem rectè negat Zoanettus, quia Imperatoris eſt augere non minuere Imperium, niſi alienatio fiat cum conſenſu Electorum ac ordinum Imperii.*

91. *Et tamen certum eſt, neutram ex iis Rom. Imp. agno-*

ſcere

ſcere, ſicut nec Gallus, Hiſpanus, Anglus, Polonus, Svecus, Danus, niſi hic reſpectu Holſatiæ quòd ab Imperio in feudum habet.

92. *Diſtingvere cum Dd. quod ſubſint de jure non de facto, eſt telum imbelle ſine ictu torquere. Qui gladio accinctus eſt, is optimè de finibus diſputat, inquit Plutarchus. Adeoque hic quoq; verum eſt quod ait gloſſa, Beati poſſidentes, quoniam fructus eorum.*

93. *Ex quo intelligitur, quomodo accipiendum ſit, quod dicitur Imperatorem eſſe orbis dominum. Nimirum de Orbe Romano, non univerſo, cum multæ ſint provinciæ, nunquam à Romanis devictæ aut Romano Imperio ſubjugatæ, ut demonſtrat Arniſæus.*

94. *Alia recondita arcana Imperii noſtri Romano-Germanici Clapmarii exemplo non tangimus, Lipſius hic aurem vellicat. Quis Regum illa κρύφια & ut Tacitus noſter appellat, Arcana imperii prodi vult? Saltem poſitiones noſtras cum hoc voto claudimus,* Ut DEUS Romanum Imperium cum capite & omnibus membris contra omnem imminentem calamitatem jugiter ſalvum & incolume conſervet.

FINIS.

BIBLIOTECA NA ROMA